

De magistrata politico

X 1863283

II f
1542



Feliciter!

quod

MAGISTRATUI

Reipublicæ Budissinensis

MAGNIFICO,

imprimis verò recens Electis,

Salv. Tit.

VIRIS

Autoritate, Gravitate longoq; rerum usu Celeberrimis.

DN.

ANDREÆ Sommer/

CONSULI REGENTI

GRAVISSIMO,

DN.

JOHANNI Lehmann/

PRÆTORI

SPECTATISSIMO,

Ipsis Solennibus SENATORIIS,

VII. Februarii,

Anni

M DC LXXXVI

exiguis hilce literis

iterum atq; iterum acclamat:

Cultor devotissimus.

BUDISSINÆ Literis RICHTERIANIS.



MAGISTRATUS MAGNIFICE,

VIRI

Singulari Prudentiâ, eximiâ Autoritate,

Confiliorum dexteritate, morumq; gravitate,

Speçtatissimi,

PROMOTORES

mei

MAXIMI,



Um ante annum VIR Excellen-
tissimus, Nobilissimusq; DN. MATTHÆUS
GÖBELIUS, Nobilissimi Consulatus Budissi-
nensis gubernacula quintum susciperet: itemq;
VIR Nobilissimus atq; Consultissimus DN.
DAVID PLATZ, porrectos fasces Prætorios
fortiter attingeret, quem utrumq; DEUS be-
nignissimus, in seram annorum seriem saluum
incolumemq; præstet, debitâ meâ erga SENATUM MAGNIFICUM ob-
servantiâ compulsus, in asserenda *Magistratus Politici* origine & dignita-
te, quam Sacrarum Literarum contemptores pessimiq; interpretes, variis
calumniis impudenter impugnant, devinctam animi mei submissionem
testatus sum: quod & nunc faciendum idem erga VOS, PATRES CON-
SCRIPTI, Nobilissimi, Honoratissimi, observantiæ cultus, eadem grati
animi lex iterum imposuit, tum, ut VIRIS singulari morum gravitate con-
spicuis, quibus hoc annô, anniversaria illa & liberâ solennitate, laudatissimæ
hujus Reipublicæ imperia denuo committitis, VIRO, utpote *Excell. Nobil-*
liss. DN. ANDRÆ Sommern / Sceptri Consularis Dignitatem, & VIRO
Nobiliss. Consultissimoq; DN. JOHANNI Lehmannen / Prætoriam Autorita-
tem, devotissime gratularer; tum, ut quanta gratitudinis, VESTRUM in
me nuper collatum promotionis beneficium requirât officia, quidq; VO-
BIS debeam, & quanti VOS faciam, ex hoc etiam publico candidi pectoris
mei documento, colligere liceret omnibus. Quare tribuite, hoc quæso,
PATRES CONSCRIPTI VESTRÆ solidæ benignitati, ut ea, quæ de
sacro & divino hoc Ordine VESTRO sentiam, honoris VESTRI gratiâ,
modestè mihi liceat expromere. DIGNITAS ORDINIS VESTRI, vel
ex eo maximè relucet, quod Autorem habeat ipsam DEUM, cujus in ter-
ris vices gerit, existitq; vox & custos utriusq; tabulæ, & aliarum honesta-
rum legum, cum Divina voluntate congruentium, cui addita est potestas,
malos ac contumaces debitis suppliciis puniendi, & coercendi. Quâ de
re, eleganter D. MAIOR, *Magistratus Politicus dona sunt DEI, in quibus*
ejus Sapiencia, Justitia & Præsentia cernitur. Sapienciam DEI monstrat,
lex & judicia. Justitiam æqualitas in contractibus & executio penarum.
Præsentiam vero miranda conservatio generis humani. Et D. VITUS OR-
TELIUS. *Ipsè DEUS excitat salutes Magistratus, quos ornat Sapienciâ*
suâ & autoritate, rerumq; gerendarum felicitate, quibus etiam inspirat recta
consilia, & armat eorum dextras singulari fortitudine, tribuit felices successus,
& faustos exitus. Sed quò quid sanctius & utilius est, eò magis à malis op-
pugnatur & obscuratur: ita & *Magistratus* non caret difficultate, suaq; mo-
lestiâ, quam experiuntur ii, qui onus hoc fideliter exequuntur. Etenim
non

non desunt, qui Pontificem Romanum Magistratui Politico præferentes hunc ab illo dependere præposterè somniant.

Alii verò, cum *Anabaptistis*, sacrum hunc Ordinem damnant, contumeliis afficiunt, eiq; omnia exercendi officia, causas putà decidendi, & deliquentes gladio puniendi potestatem adimere improbè conantur. Verum enim verò nostrum est, de *Magistratu Politico*, sanctius sentire. Lex enim nobis tradita est, ut mores nostri cum voluntate DEI congruant, homiq; rectè & ad civilis prudentiæ normam vivere consuescat. Nam honestatem vitæ nostræ, quam DEUS à nobis exigit, monstrat lex, cujus custos ac executor est Magistratus. Tollamus *legem & Magistratum*, mox experiemur, vitam nostram à brutorum vita parum abesse: Imò homines, qui sine *legibus & Magistratū* vivunt, longè deformiorem & detestabiliorrem vitam agunt, quam feræ bestię. De *CYCLOPIBUS EURIPIDES* *D. Vito* Interprete ait: *Pastores, sive homines, sunt, inter quos nullus alterum ulla de re audit, nemo alteri obtemperat; vivunt in incertis sedibus, hinc inde per sylvas & montes vagantes: nulla justitia, humanitas nulla illis nota est: Sanguine & carnibus humanis ventrem pascunt.* Et *CICERO* inquit: *Cum legem dico, nihil aliud intelligo, quam id, sine quo nec domus ulla, nec Civitas, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus consistere potest.* Et *PLATO* egregià satis similitudine, leges cum primis literarum elementis confert: *Sicut, inquit, in ludis literariis Magistri pueris scribendi adhuc imperitis primò præformare solent literas, deinde tabellam præbent, & ipsos cogunt præformatas literarum figuras scribendo sequi, atq; imitando exprimere: Ita Magistratus Populo præscriptas leges proponit, ut juxta earum præscriptionem vivat, & gubernatoribus obediat.* Quæ enim vitæ ratio futura esset, si nulli essent *Magistratūs*, nullæ *leges*, nulla *judicia & pænæ*, quibus mali coercerentur, & boni defenderentur. *Sicut, inquit PAULUS. Magistratus est DEI minister, ultor ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit.* Nam, ut sævæ bestię, ne nobis noceant, catenis & vinculis mitigantur; ita barbari homines, qui sine metu DEI vivunt: quibus nisi vincula legum à Magistratu injicerentur, nemo suam vitam, uxorem, liberos & facultates tueri, nec *Pax* publica retineri posset. Hanc ob causam *Magistratus* Divinitus constitutus est, ut ii, qui, neq; per *Pastores Ecclesiarum*, neq; per *Parentes, Patres familiās & Præceptores* coerceri possunt, coercerentur tandem à Magistratū gladio & pænâ capitali, ut publica pax & tranquillitas, externaq; legis disciplina in genere humano conservetur.

Neq; etiam illa ambitiosa *Summorum Pontificum Rom.* in universi mundi imperia potestas, *MAGISTRATUM POLITICUM*, ut ab ea dependeat, aut colla sua ei calcanda porrigat, nullo jure cogere potest. Duas hic easq; potissimas adhibet *BARCLA JUS* in *Ca. Consc. D. Balduini* rationes, (1.) Quia *Petrus* cæteri q; *Apostoli* tunc temporis, nullum habebant jus in quemvis privatum *Subditum*, ne dum in *Magistratum*; quin potius ipsi *Magistratui* etiam ethnico subditi fuerunt: *Christus* enim non venit, naturæ, aut gentium jura tollere, aut quenquam temporali rerum suarum dominio excutere: fas autem non est *summum Pontificem* nunc habere majorem potestatem in *Principes politicos Christianos*, aliosq; *Magistratūs*, quam tunc *Petrum* in quemvis privatum. (2.) Quia nemo ex antiquissimis, hujus potestatis *summi Pontificis* mentionem fecit, multò minus, *summorum Pontificum* ullus antiquis temporibus, quamvis non minus, quam alii, zelò & studiò *Ecclesiæ* gubernandæ flagrans, eâ potestate usus fuit erga *Imperatores*, aliosq; *Magistratūs* hæreticos, cujus tamen rei occasiones commodissimas frequenter habuissent: quin potius, ut quisq; doctrina & sanctitate magis excelluit; ita *Imperatorem* submissius observans, ejus subditum & servum se esse professus est: quemadmodum *Gregorius Magnus. Mauriti* Imperatoris famulum se nominare non erubuit, Sed & *D. CARPZ.*
in

FA 17 1542
in quadam Epistola Dedicatoria, quâ GOLDASTUM citat, ab universo Clero sedi Romanae subiecto solidam exposcit responſionem. Dicant, si ve-
lint, uter in populo Judaico major fuerit, Deoq; propior, Moyses ne an Aaron?
uter eorum populum de fide & lege instruxerit? uter Religionem & ritum Ec-
clesiasticum instituerit? uter præcepta sacerdotibus, Presbyteris & Levitis de-
derit, legesq; ceremoniales præscripserit? uter de causis Ecclesiasticis judica-
verit? Nonne Moyses Imperator, cui Aaron, summus Sacerdos, legitime sub-
erat & modeste parebat.

Quicquid tandem sit, nobis verè & probè Catholicis incumbit: DEO
magis, quàm hominibus obedire: Et Magistratûs Politicos, quibus teste
PAULO, omnis anima; & CHRYSOSTOMO, omnis homo, siue ille sit Sacer-
dos, siue Apostolus, siue Evangelista, in temporalibus subiectus est; omnibus
aliis, maxime verò iis, qui protervè impios cultus, idololatriam & doctri-
nam cum Evangelio pugnantem venditant; præferre, & quod à nullo
Clericorum genere, nisi ab ipso DEO dependeat, Spiritui Sancto, nos hac
in re, in scripturis manifeste informanti, fidem adhibere, operamq; quàm
maximam dare, ut eos, post DEUM, omni observantiæ cultu & honore,
prosequamur, eorumq; curas, labores, vigiliis & molestias, quas nostri
causâ sustinent, debitis officiis, compensare studeamus, honorificè de eis
sentiamus & loquamur: temper præ oculis habendo laudabile veterum
illud dictum: DEO, Magistratibus, Parentibus & Præceptoribus, non posse
satis gratiæ, meritisq; dignum rependi. Quicumq; igitur rectè horum ver-
borum memor fuerit, non expectabit aliorum commonefactiones, ut er-
ga DEUM, MAGISTRATUS, PARENTES & PRÆCEPTORES
gratum vel opus, vel animum saltem sistat: sed sua spontè properabit eos-
dem & ardentè amare, & omni honore tam privato, quàm publico cumu-
lare. Profectò, si quis est Clientum VESTRORUM, qui VOBIS, ME-
CÆNATES SUMMI, amorem & honorem, imò vitam ipsam, debeat,
eum me esse, firmiter statuatis, VOBISq; maxime persuadeatis, me neq; in
vita, neq; in fortuna habere quicquam, quod non amore erga VOS ductus
offerre & effundere sim paratus. De cætero, adfit Divinum Numen
hoc anno imperantibus, CONSULI NIMIRUM REGENTI EX-
CELL. & PRÆTORI NOBILISS. Tribuat illis summam prudentiam,
ut in omni æquitate & iustitiâ laudatissimam hanc Rem publicam regere &
moderari queant: VOS reliquos SENATORES GRAVISSIMOS ser-
vet misericors DEUS sospites & incolumes, florentesq; constituat veræ Reli-
gionis thesauro, autoritatis pondere, & omnium rerum felicitate inexhau-
stâ, & contra omnes novercantis fortunæ dolos & impetus defendat.
Postremo, humilibus à VOBIS contendo precibus, ut hunc meum, erga
VOS debitæ observantiæ cultum, non tantum vultu Vestro benevolo ac-
cipiatis, verum etiam pristinum benevolentiae VESTRÆ in me favorem
conservare ne dedignemini.

Nobiliss. Excellentiss. Consultiss.
Ampliss. VV.VV.VV. Dignitatum

devotissimus
atq; humillimus
Clientis

NICOLAUS GÄMBARZOWSKI,
Scholæ Senatoriæ Vestræ Collega Sextus.

WTF

MAGISTRATUS MAGNIFICE, VIRI

Singulari Prudentiâ, eximiâ Autoritate,

Co

gravitate,

ES



incolumemq; pr
servantiâ compu
te, quam Sacraru
calumniis impud
testatus sum: qu
SCRIPTI, Nob
animi lex iterum
spicuis, quibus h
hujus Reipublica
liss. DN. ANDRE
Nobiliss. Consultiss
tem, devotissime
me nuper collatu
BIS debeam, & q
mei documento,
PATRES CON
sacro & divino ho
modestè mihi lice
ex eo maximè re
ris vices gerit, ex
rum legum, cum
malos ac contum
re, eleganter D. M
ejus Sapiencia, Ju
lex & judicia. In
Præsentiam verò
TELIUS. Ipse DEUS excitat savitares magistratus, quos ornat Sapienciâ
suâ & autoritate, rerumq; gerendarum felicitate, quibus etiam inspirat recta
consilia, & armat eorum dexteras singulari fortitudine, tribuit felices successus,
& faustos exitus. Sed quò quid sanctius & utilius est, eò magis à malis op
pugnatur & obscuratur: ita & Magistratus non caret difficultate, suaq; mo
lestiâ, quam experiuntur ii, qui onus hoc fideliter exequuntur. Etenim
non



Vir Excellen
DN. MATTHÆUS
ni Consulatus Budiffi
tum susciperet: itemq;
Consultissimus DN.
rectos fasces Prætorios
em utrumq; DEUS be
norum seriem saluum.
M MAGNIFICUM ob
itici origine & dignita
miq; interpretes, variis
mi mei submissionem.
VOS, PATRES CON
tiæ cultus, eadem grati
morum gravitate con
olennitate, laudatissimæ
ro, utpote Excell. Nob
Dignitatem, & VIRO
Prætoriam Autorita
tudinis, VESTRUM in
irat officia, quidq; VO
publico candidi pectoris
re tribute, hoc quæso,
dignitati, ut ea, quæ de
noris VESTRI gratiâ,
RDINIS VESTRI, vel
n DEUM, cujus in ter
e, & aliarum honesta
cui addita est potestas,
coercendi. Quæ de
a sunt DEI, in quibus
entiam DEI monstrat,
& executio pænarum.
Et D. VITUS OR
non